



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 22. Continuatio prioris. Ex Vet. Novo. Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Ex Novo.

Tibi dabo claves regni caelorum. Matth. 16. 19. Sed paulo post v. 23. *vade post me Sathana.* Tam subito daemon, qui modo Papa fuit! Factum id ad conservandam Petri humilitatem, teste B. Petro Dam. l. 4. ep. 12. in quo nobis exemplum dedit; ut quos ad honoris culmen attollimus, sub disciplina magisterio refranemus; ut ne ipsi, lenocinante fastigio, se in superbia tyrannidem erigant. Velloso in Judith 1. Paræn 4.

Non poterat loqui. Luc. 1. 22. Zacharias futurus pater vocis clamantis in deserto vocem perdidit. de Castillo Illat. 189.

Domine, hominem non habeo. Joan. 5. 7. Magis cogitare debetis, quid vobis desit, quam quid vobis adsit. Quod habes, cave, ne perdas &c. S. Aug. l. 53 de V. D.

Fecit lulum ex spuro, & imovit lulum super oculos. Joan. 9. 6. Superbia cœcitas luto humanæ terminationis exterminatur. Vidisti pelagus horribiliter infremens, cum undis tumescit? circa ripæ arenam tota ejus superbia submittitur. Superbo affectui objice propriæ infirmitatis arenam. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 3. Obl. 4.

Datus est mihi stimulus carnis. 2. Cor. 12. 7. Nullus adeo virtutibus splendet, ut nullâ culpæ obscuritate caliget. Aliquid semper restat; aut quod debeat attolli, aut deprimi. Qui ascendit Paulus. Empyreum, pati cogitur carnis æstum. Nec caelum, nec terra, perfecta prodierunt. Naxera in Jos. 15. §. 43.

Ex Patribus, & aliis.

Quod divina pietas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobae in argumentum vertunt elationis: & ex diversitate munerum à bono deficiunt; unde crescere in humilitatis bono debuerunt. S. Gregorius hom. 10. in Ezech. 3.

Cum boni fratres, agitis, semper ad memoriam malè acta revocate: ut, dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lateatur. S. Gregor. hom. 7. in Evang.

Magna est omnipotentis DEI dispensatio: & plerumque contingit; ut, quibus majora bona praestant, quaedam minora non tribuat: quatenus, dum appetunt perfecti esse, & non possunt; & laborant in hoc, quod non acceperunt; nec tamen elaborando praevaleant: ut in his, quæ accepta habent, se minimè extollant, sed discant: quia ex semetipsis majora bona non habent, qui in seipsis vincere parva vitia, atque extrema, non possunt. S. Gregor. Dialog. l. 3. c. 14.

Sic nimirum conservandæ humilitatis gratiâ divina solet pietas ordinare; ut, quantò quis plus proficit, eò minus se reputet profecisse. Nam & usque ad supremum exercitij spiritualis gradum si quis eousque pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur; ut vix sibi primum videatur adeptus. S. Bernardus serm. de quat. modis orandi.

Oportebat praedestinato, atque vocato, ad tantam celsitudinem Petro Apostolo causam subesse, & magnitudinem honoris ejus praeire; unde illi humilitatis, atque compassionis scientia jugiter posset accidere; idcirco labi permissus est, idcirco usque ad triplicandam negationem derelictus est. S. Rupertus c. 28. de operib. Spiritus S.

Ezechiel, Daniel, & Zacharias, quia saepe inter Angelos se esse cernunt; ne eleventur in superbia; & angelicæ vel naturæ, vel dignitatis participes se esse credant; admonentur fragilitatis suæ, & filij hominum culpantur; ut homines se esse noverint. S. Hieron. apud Escobar. t. 2. Pers. Chr. l. 8. fest. 2. obl. 2.

Sicut in carcere, sic & in curru Pharaonis, tam humiliter servivit Joseph: illud semper attendens, quia servus, non quia pater, Pharaonis, Rupertus l. 8. in Gen. c. 40.

Magnus ascensus ad DEUM cognitio infirmitatis suæ. Cassiodorus in illud Ps. 63. miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.

Vide etiam atque etiam; nè circumspiciens ea, quæ DEUS per te, ac Socios universos efficit, obliviscaris tui. Mihi verò pro mea erga vos omnes charitate pergratum esset, vos unâ cum animis vestris considerare, quam multa DEUS vestro vitio facere omittat: atque hac malim vos intueri, quam quantas res DEUS per vos efficiat. S. Xaverius ep. 14. P. Gaspari Rectori Goæ.

§. XXII.

Continuatio prioris paragraphi.

Ex Veteri, & Novo.

CREAVIT DEUS HOMINEM &c. Gen. 1. 27. S. Chrysostr. hom. 3. in ep. ad Coloss. quâ ratione Angelus, vel imago, vel filius Dei, non vocatus est? sed homo? quoniam illic naturæ sublimitas plures in impietatem conjecisset; hic verò tenuitas; & humilitas securitatem praestat. De terra limosa, argillosa, quantum ad corpus: & hoc dicit Moyses, ut semper recolar homo vilitatem suam. Hugo Card. hic.

Formavit Dominus DEUS hominem de limo terræ. Gen. 2. 7. Cur DEUS hominem, ultimam, sed praestantissimam, inter visibiles creaturam, produxit honoribus plenum, divitiis affluentem, irrationabilium praesulem; insuper inter animalia sua habuit incunabula? S. Chrysostr. hom. 12. in Gen. nè ignorando homo, quomodo constitutus sit, magnus sibi videatur, & praescriptos sibi limites transeat. Cur non primò creavit? Procopius apud Mendozam in 1. Reg. 3. v. 9. (vide hunc ibi desuper fufius discurrentem) nè gloriaretur, & se quali jaclaret cooperatorem DEI.

Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ. Gen. 23. 7. Licet illum confiterentur regem; non tamen erubuit illos adorare; sed, cum se in terram usque incurvavit, ostendit se terram, & cinerem. Procopius apud Velloso in Judith 7. Paræn. 9.

Ego

Ego dixi, dii estis, & filii Excessi omnes; vos autem sicut homines moriemini. Psal. 81. 6. 7.

Fili hominis, vade. Ezech. 3. 4. Cur Ezechiel Propheta, vel quoties sublimia conspicit, vel quoties aliqua agere mystica iubetur, prius *filii hominis* appellatur? Saepe enim subleuatur ad caelestia, & occultis, atque invisibilibus, rebus ejus mens pascitur. Necessesse ergo est, ut inter occulta, quae penetrat, filius hominis nuncupetur: ut semper agnoscat, quod est; & nunquam extollatur de his, ad quae ducitur. S. Gregor. hom. 12. hic.

Nam & ego homo sum. Matth. 8. 9. Homo sum: jam quid inferas; suspectam non habemus jaclantiam: praemissa siquidem est humilitas, ne altitudo praecipitet. Sanct. Bernardus ep. 42. Apud Velloso in Judich 7. Paran. 9.

Simile est regnum caelorum homini regi. Matth. 22. 2. Prius vocatur homo, postea rex: solidum enim fundamentum regij honoris est; ut reges homines se esse agnoscant. Sylveira hic.

Surge, & ego ipse homo sum. Act. 10. 26. Quia humiliari sibi, plus quam debuit, proximum vidit; ne ultra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominem recognovit: quatenus illati sibi honoris elationem frangeret, ex considerata aequalitate conditionis. S. Gregorius l. 21. mor. c. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Cum cogitauerimus, unde constitutionis nostrae initium natura nostra susceperit; etiam si sexcentis supercilia surrigamus; ea reprimemus, & humiliabimur; & substantia nostrae qualitatem perpendentes, modelliam discemus. S. Chrysost. hom. 12. in Gen.

Homo dictus, quia ex humo factus est. S. Ildorus Originum l. 11. c. 1.

Ut superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet, non dedit hominibus maxima corpora: nam si exiguis corporibus praediti, non contra se modo, sed contra Deum Creatorem, attolluntur; quid non commississent, si maxima corpora sortiti fuissent? B. Theodoretus q. 48. in Gen.

§. XXIII.

Varia alia motiua

Ex Veteri, & Novo.

Ego sum DEUS Patris tui, DEUS Abraham &c. Ex. 3. 6. mox ille abscondit faciem suam. Pererius: ubi audivit DEUM dicentem sibi: *ego sum DEUS Abraham &c.* statim vultum operuit: nihil est enim, quod nos magis pudore afficere possit; quam si insignium sanctitate virorum eximias virtutes, & praecleara facta, intueamur, & cum animo nostro repitemus; atque vitam, atque opera nostra, cum illis comparemus. Didacus Nissen, D. 10. Pent. §. 4.

Pulchra ut luna. Cant. 6. 9. Cur non ut Sol? ut scias, pulchritudinem gratiae non tan-

tum à te non esse, sed à DEO; quod humilitatem commendat: sed etiam, quamdiu in hoc exilio degis, inesse tibi mutabilitatem; qui hodie es pulcher, cras poteris esse foedus; & qui modò es lucidus, postea forsitan fies tenebrosus. de Ponte hic Eph. 5. §. 2.

Nisi conversi fueritis - sicut parvuli. Matth. 18. 3. Prorsus vos filij Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excrevistis; nisi conversi fueritis &c. non intrabitis in regnum caelorum. Guarricus l. 1. de Nat. D.

Ex Patribus, & aliis.

Sicut ramus, in quo pendet fructus; & sicut spica plena granò, respicit, & declinat versus terram: sic anima humilis, quae instar rami est onusta fructibus honorum operum; & ad modum spicae plena est granis virtutum, respicit terram, id est est, propriam fragilitatem. S. Bonaventura diat. fal. de humilit. c. 36.

In omni tempore, & loco, & quocumque in opere, humilitatem tibi comitem adhibe. Sicut enim corpus, sive calori, sive frigori, obnoxium sit, vestimento indiget; ita & anima perpetuo humilitatis indumentò, habituque, opus habet. S. Ephrem de vita spir. cap. 64.

S. Franciscus rogatus: quid haberet gratiae, aut boni, ob quod à DEO ad tantam sanctitatis, & auctoritatis, fastigium à DEO esset exaltatus; ut totum Mundum ad se, sui que amorem, ac reverentiam, traheret? tu enim, inquebant, non es nobilis, non dives, non doctus, non eloquens, non formosus. Respondit: ideo DEUS ad hoc me elegit; quia nihil habeo, in quo gloriari possim: ut constaret, hoc opus non esse hominis, sed DEI. Cornelius in Act. c. 1. v. 26.

B. Magdalena de Pazzis hoc à DEO dogma accepit, esto ordinis Minimorum, & Minimorum minima. Cornelius in Luc. 22. v. 26.

§. XXIV.

Humilitas propria magnorum Sanctorum.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri.

Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, & velut arenam. Gen. 22. 17. Quid splendidius altis, quid arenis vilis? quam procul à littore maris firmamentum caelorum est? Et tamen DEUS eosdem, & stellas esse vult, & arenas. Optat Dominus in Alumnis suis eam animi magnitudinem, quae pro Christo, & summa aggrediatur, nec infima dedignetur. Vult te modò ad stare fabro; modò cum regibus confidere. Oliva l. 4. Strom. hic. Si tanquam stellae in caelo aliis praelucemus; tanquam arena humi jacere debemus omnium pedibus contendi. Tuffo in Eccl. c. 2. Stellae sunt Abrahamae stirpenati, quia magni sunt; sed modici apparent. Hugo Card. hic. Stellae minus appa-